

Regibus (magis quàm alio quouis è uulgo) negocij est. Cœlum enim causa est uniuersalis, quæ beneficio motus & luminis (addunt tertio loco plerique è Mathematicorum grege nescio quam occultam influentiam) omnia, quæ sunt in hoc mundo inferiore, nullo discrimine alterat & uegetat, nullam interea rerum ipsarum cognitionẽ habens. Sed nolo omnia persequi. neq; enim operæ precium est longiorem in re futili parumq; firmis rationum momentis subnixam conuellendam, orationẽ consumere. in quo nimirũ Philosophi cõsiliũ sequor, qui ait: *ἐνυθὲς εἰναεὶ τὸς ἐνύθεις λόγους λίαν ἐξετάζειν.* Atque hæc quidem habui mi Crato præstantiss. quæ tibi responderem, quæ ipsa profecto, cum ad rescribendum tibi calamum sumpsi, non fuit animus tam copiose examinare, atque utriusque nostrum ocio, tam intemperanter abuti, sed scribenti, ut sit, aliud ex alio incidebat. Quæ cum perlegeris, fac ut intelligam, quid in primis improbes, nisi adhuc, quod nolim, non satis recte uales. Equidem in ualitudine tua uehementer conturbor. Caterum, quod ad Erasti (quem ego uirum, illius sane merito, magni facio) sententiam de putredine attinet, ea mihi nondum bene perspecta est. necdum enim eius hac de re commentarios uidi. Quæ de illius morbo adscribis, uix credas quàm me ualde perturbarint. legi quæ Cardanus de morbo, quem uagum uocat, ante multos annos scripsit. multa congruunt. Tam multos certe flatus, qui totum corpus ita perreptant, ut cutem distendant, eamq; à musculis etiam seiungant auellantq;, caloris innati imbecillitas difficulter discutiet: in illa præsertim ætatis inclinatione. Sed confido tamen fore, ut uir uita digniss. sanitatem recuperet. quod uotis omnibus à Deo expecto. Hieron. Mercurialis præstantissimi Philosophi, & Medici Patauini opinionem non probo, si nullam esse pestem affirmat, nisi cū ab aere pestilentibus seminarijs, putridisq; *μικρομασι* corrupto atq; inquinato, humana corpora inficiuntur, lethalemq; labem hauriunt, penitusq;